



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dissertatio Theologica De Formulari Ab Illustrissimis Episcopis Belgii Proposito In Causa Jansenii**

**Claremontius, Johannes**

**Coloniæ, 1693**

§. III. Necessitas proponendi Formulare in Belgio: & quis inde fructus sperari possit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40333**

*Necessitas proponendi Formulæ in Belgio : &  
quis inde fructus sperari possit.*

**A**T in Belgio, quæ altera Regio est in quâ & Jansenianus error ortum habuit & jam diu grassatur, nullum hæcenus remedium efficax fuit propositum quo illius contagioni obviam iretur. Atque interim idem error longè latèque diffunditur, radicesque ita figit in animis incautorum, ut prorsus difficile sit ipsum extirpari. Prodeunt in dies Libelli, Theses, aliaque scripta, quibus sensus Jansenianus traditur sub specie plausibilium verborum, ut digito demonstrari facile possit, & dicier, hic est. Quin immò plerique gloriantur se Jansenianum sensum tenere, quem ab Ecclesiâ immeritò damnatum contendunt; adèd ut Iansenismus non aliud quam phantasma asseratur, adversus quem Ecclesia incausum luctata fuerit. Alii moderatius quidem se loqui arbitrantur, dum ubique spargunt, atque in os ipsius S. Sedis ingerunt, incertum esse sensum Iansenii, quidquid Apostolicæ Constitutiones edixerint: Alii denique plura alia hanc in rem effutiunt, quid enim verò hic faciant Illustrissimi Belgarum Antistites, quò identidem inventa subterfugia præscindant, quo oves sibi à Domino creditas à lue hæreseos imraunes servent, quo debitam Ecclesiæ fidem adversus refractarios tueantur? Certè si remedium aliquod ipsimet excogitassent, nullum in eos criminationis genus omisissent obrectatores quidam, qui se ejusmodi repagulis constringi non patiuntur. At consultè admodum Formulam proposuerunt quam S. Sedes præscripsit tanquam exquisitum & efficax antidotum, ipsamque juxta ejusdem mentem exposuerunt.

Quicumque in hanc Formulam jurant aut jurare parati sunt, ab omni suspicione hæreseos se eximunt, obediens se Ecclesiæ filios probant, dummodò sincerè (uti illa præ se fert) profiteantur, ac deniq; pacem cum aliis conservent. Hac utique viâ malam de se opinionem purgavit Michaël Baius, qui post dampnationem plurium è suis propositionibus sensus commentus fuerat, quibus censuram eludere videbatur. Probavit, inquam, dum in hanc formam professus est. *Fateor in nonnullis à me olim & ante emanatam Sedis Apostolica super iis (propositionibus) censuram conscriptis & in lucem editis contineri & defendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur.* Ex hoc enim auditus est, dum

(9)  
dum subjunxit, se à propositionibus reprobatis omnibus recedere & damnationi à Sede Apostolicâ factâ acquiescere, neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle.

Utinam qui secuti sunt errantem, sequerentur poenitentem, uti Theodosio loquebatur S. Ambrosius, qui haustas ab illo doctrinas aliasque Iansenii damnatas resumpserunt easdem cum illo ejurarent, Inculcant sæpe & recantant se damnare eas propositiones in omni sensu in quo illas Ecclesia damnavit, & graviter conqueruntur sibi fidem non haberi. Illud quidem videri posset, si prius Ecclesiam audirent declarantem se eas damnasse in sensu à Iansenio intento: atque ad eò illi sensui renuntiarent formulam jurando: qui enim fidem exigunt, fidem prius astruant necesse est. At quamdiu ipsi fidem Ecclesiæ detrectant, quâ ratione illam à Præpositis Ecclesiæ sibi exhiberi postulant? Nihil utique *iniquius*, inquit S. Augustinus lib. de utilit. cred. *quam postulare ut Dei Antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant: nos eis præcipientibus nolimus credere.* Neque dicant fictum se non arbitrari animum Ecclesiæ, sed errore tantum lapsum existimare. Quibus enim unquam persuadere poterunt, se nullo errore abduci, dum sensum Iansenii à labe hæreseos immunem esse contendunt? Non sibi-met-ipsis, qui, si ut par est humiliter de se sentirent, errori magis obnoxios esse se intelligerent: atque ita tanquam filii obedientes judicio Ecclesiæ acquiescerent. Non ipsi Ecclesiæ, quæ cum Iansenium se satis superque intellexisse non dubitet, illis non cogitur cedere. Non cæteris S. Matris Filiis, quibus Sanctum est & decretum, judicio ipsius immobiliter inhærere.

Hic status est in Belgio controversiæ Iansenianæ, quæ animos dissentientium mirum in modum commovet: nec sedari ullâ ratione potest, nisi ejurato sensu Iansenii & verâ subjectione mentis judicio S. Sedis credentis præstitâ. Sin autem Formulari ab Illustrissimis Ecclesiæ Principibus proposito sincerè subscribatur, damnando sensum Iansenii, quasi sua sponte corrueat omnis commotio & suspicio hæreseos. Sic enim qui in suspicionem adducuntur, laborabunt, ut discrimen inter suum & Iansenii sensum designent, aut emendabunt sententiam, recedendo à propositionibus damnatis, sensumque Catholicum amplectentur.

